

Et hinc licet pars una adulteretur, tamen innocens votum Deo factum servare debet: quamvis adulteram ad thorum, et cohabitationem admittere, et debitum ei reddere haud amplius obligetur, nisi et ipsa postea adulteretur, c. *Significasti*, 4, de *Divort.*

12. *Fallit regula in contractu cum pupillo.* — Quæritur II. An et quas fallentias patiatur regula 73? Resp. eam fallere in contractu cum pupillo, inito sine auctoritate tutoris, l. *Julianus*, 13, § 29, ff. de *Action. empt.*, hunc enim contractum pro libitu frangere potest pupillus, alter vero eundem servare tenetur, ibi: « Si quis a pupillo sine auctoritate tutoris emerit, ex uno latere constat contractus; nam qui emit, obligatus est pupillo: pupillum sibi non obligat. » Et hoc in favorem ætatis pupillaris a jure specialiter sancitum est: quod cum emens a pupillo scire potuit et debuit, sibi imputare debet, quod cum illo sine auctoritate tutoris contraxerit.

REGULA LXXVI.

DELICTUM PERSONÆ NON DEBET IN DETRIMENTUM ECCLESIAE REDUNDARE.

1. *Quid nomine personæ intelligatur in regula?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Nominem personæ in hac regula intelliguntur non tantum prælati Ecclesiarum, tam regularium, quam sæcularium: sed etiam omnes illi, sive sæculares laici, sive clerici, qui Ecclesiæ, vel monasterio serviunt, ejusque res aut jura administrant, vel membra Ecclesiæ, monasteriive existunt. De quibus regula dicit, quod eorum qualiacunque delicta, sive falsum committant, sive occidant, sive furentur, aut alias damnificent, vel injuria afficiant, etc., in detrimentum Ecclesiæ redundare non debeat, consequenter Ecclesia ad reparationem damni illati, vel pœnam delicto impositam non obligetur, nec ipsamet in bonis suis damnum pati habeat. Hinc.

2. *Ponitur versus sensus regulae.* — Resp. II. Genuinus regulæ sensus sequens est: « Si personæ, quæ Ecclesiæ sive regulari, sive sæculari deserviunt, ejusque res, aut jura administrant, vel membra illius existunt, quales sunt prælati, privati clerici, aut religiosi, officiales sive regulares, sive sæculares, puta granarii, cellarii, economi, procuratores, etc., delictum committant, non

debet illud in detrimentum Ecclesiæ redundare, nec ei quomodolibet præjudicare, consequenter non tenetur Ecclesia damna exinde aliis illata resarcire, aut pœnam aliquam subire, nec damnum sibi illatum sustinere. » Ratio regulæ est, tum quia delicta suos tenere debent auctores, c. *Quæsit*, 2, de *His, quæ a majori parte capit.*, ibi: « Cum peccata suos auctores tenere debeant, nec pœna sit ulterius protrahenda, quam delictum fuerit in excedente repertum, » juncta, l. *Sancimus*, 22. C. de *Pœnis*. Consequenter, cum præfatæ personæ, si delinquant, id non Ecclesiæ, sed suo nomine faciant, eorum delicta illis solis, non Ecclesiæ nocere debent; tum quia Ecclesia gaudet favore et jure minoris, c. 1, de *In integr. restit.*; ibi: « Et Ecclesia jure minoris debeat semper illæsa servari. » Minor autem ex alieno, etiam tutoris delicto, non tenetur, arg. l. penult. ff. de *Tabulis exhibendis*. Accedit quod Ecclesiæ prælatus vel alius administrator illius meliorem quidem reddere possit conditionem Ecclesiæ, sed deteriorem tacere non debeat, cit. c. 1, de *In integr. restit.* et c. 2, de *Donationibus*, ibi: « Cum episcopus, et quilibet prælatus ecclesiasticarum rerum sit procurator, et non dominus, conditionem Ecclesiæ mellorare potest, facere vero deteriorem non debet. »

3. *Declaratur exemplis juris.* — Declaratur regula exemplis juris, ubi plurima inveniuntur. Sic enim, si episcopus tam grave delictum committit, ut merito deponatur, bona Ecclesiæ non confiscantur, can. *Si Episcopum*, 3, cau. 16, q. 6, ubi pro ratione affertur regula nostra, ibi: « quia delictum personæ in damnum Ecclesiæ non est convertendum. » Sic etiam, si procurator, aut syndicus producit falsum instrumentum, ab ipso prælato confectum, id Ecclesiæ non præjudicat, c. *Cum venerabilis*, 6, § *Ad hæc. de Except.* Sic ulterius res Ecclesiæ male alienatas revocare potest non tantum successor superior, et capitulum, sed ipse prælatus male alienans allegando etiam, et fatendo propriam turpitudinem, etiamsi jurasse non repetere: prout amplius dictum, et probatum habetur lib. III, tit. XIII, § 3. Adducit Dynus plura alia exempla de variis delictis per personas commissis, et universaliter concludit, quod vi regulæ nullum horum præjudicare valeat Ecclesiæ, prout etiam n. 1, jam diximus.

4. *Solvuntur objectiones.* — Objicitur autem primo, contra: regula l. *Jubemus*, 10. C. de *Sacros. Ecclesiis*, vi cujus etiam navis Eccle-

sia fisco addicitur ob delictum prælati, quo eam publicæ transvectioni subtrahit. Resp. leges civiles, sacris canonibus manifeste obviantes, esse nullas; cum legislatores civiles careant potestate aliquid statuendi in præjudicium Ecclesiarum, c. *Quæ in Ecclesiarum*, 7, et c. *Ecclesia*, 10, de *Constit.*, ibi: « Nos attendentes, quod laicis super Ecclesiis, et personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi. » Vel dic cum Dyno et Glossa delictum ibidem circa navem commissum fuisse cum consensu et concilio capituli: in cujusmodi casibus regula non procedit juxta mox dicenda n. 6.

Objicitur secundo: Repudiatio legali a prælato facta censetur in jure valida: ergo factum personæ nocet Ecclesiæ. Resp. negando consequentiam; quia in repudiatione non agitur de damno vitando, sed tantum de lucro non captando; non autem est par ratio, lucra non facere, et quæsitam perdere; prout amplius de hac materia dictum habetur lib. III, tit. X, § 2.

5. *Fallit regula primo in delictis omissionis.* — Quæritur II. An et quas fallentias patiatur regula 76? Resp. eam fallere primo in delictis omissionis a prælato, vel aliis personis factis; hæc siquidem etiam Ecclesiæ præjudicant arg. can. *Placuit*, 15, cau. 16, q. 3. Item c. 1 et seqq. de *Præscript.* ex quibus clare patet, quod delictum prælati, omissis repetere rem ecclesiasticam, noceat Ecclesiæ eatenus, quatenus contra eundem debito tempore currit præscriptio.

6. *Fallit secundo, quando prælatus cum consensu capituli delinquit.* — Fallit secundo, quando prælatus delinquit cum consensu capituli, et communicato consilio, arg. c. *Cum dilectus*, 2, de *Ordin. cognit.* juncta Glossa ibidem: ubi exceptio spoliationis a prælato factæ propterea etiam Ecclesiæ nocet. Vivianus hic. Et ratio est, quia, etsi prælatus solus delinquendo non repræsentet Ecclesiam, sicque ei non noceat: tamen, quia cum capitulo, vel collegio eam vere repræsentat, eidem etiam nocet, si cum consilio et consensu eorum delinquit, quia sic totam Ecclesiam deliquisse censetur. Et procedit hæc fallentia sive omitendo, sive committendo fiat delictum, ob paritatem rationis.

7. *Fallit tertio, in interdicto.* — Fallit tertio in interdicto, c. *Cum dilectus*, 8, de *Religiosis domibus*, ubi propter delictum prælati monasterium interdicto subjicitur;

quod, etsi speciale non tamen adeo durum censet divus Thomas 4, dist. 18, q. 2, art. 3, quæst. 2, ad secundum dicens; « quia interdictum non est tanta pœna, quanta excommunicatio; quia interdicti non fraudantur suffragiis Ecclesiæ, sicut excommunicati. »

8. *Fallit quarto, quando ex delicto personæ aliquid ad Ecclesiam pervenit, hæcque inde facta est ditior.* — Fallit quarto quando ex dolo, vel delicto prælati, aut alterius ex recensitis n. 2, personis aliquid ad Ecclesiam pervenit, et hæc inde facta est ditior; Dynus hic, quia sicut jure cavetur, ut pupillus teneatur de dolo, aut delicto tutoris, si inde ad eum aliquid pervenit, l. 4, ff. de *Tribut. act.* cum concord. et dominus de delicto servi: ac pater de delicto filii, si quid ex horum delictis aliquid ad eos pervenit l. 1, § 15, 19 et 20, ff. de *Vi, et vi armat.* sic etiam Ecclesia eatenus tenetur, quatenus id, quod ex delicto personæ ad se pervenit restituere debet.

Fallit quinto in confessione judiciali prælati, de quo fusius lib. II, tit. XVIII, § 4.

REGULA LXXVII.

RATIONI CONGRUIT, UT SUCCEDAT IN ONERE, QUI SUBSTITUITUR IN HONORE.

1. *In quo differat hæc regula a regula 55?* — Præsens regula in substantia omnino concordat cum regula 55, de *leg. jur.* in 6, ac in hoc solo differre videtur, quod hæc posterior universaliter, et indistincte dicat: « Qui sentit onus, sentire debet ommodum, et e contra. » Præsens vero regula loquitur specificè de casu successionis in honore velitque, ut, qui in honore succedit, succedat etiam in onere honori annexo.

2. *Ponitur versus sensus regulae.* — Quæritur itaque, quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. eam esse intelligendam juxta sequentem genuinum illius sensum: « Quicumque alicui succedit in dignitate, vel alio munere honorifico, aut prærogativa quadam eidem etiam succedit in onere, seu in obligationibus tali dignitati, vel muneri honorifico annexis; easque uti antecessor adimplere, et præstare debet. » Fundatur regula in ratione, et æquitate naturali, pro it ipsa regula innuit illis verbis: « Rationi congruit: » quam adeo æquam duxit imperator, ut intollerabilem minime ferendum pronuntiarit

illum, qui eidem non acquiescit. l. un. § 4, c. *ae Caduc. tollend.*, ibi: « Neque enim ferendus est is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit. » Ad propositum etiam servit effatum Gregorii Papæ can. *Rationis ordo*, 9, dist. 100, ibi: « Cum honoris augmento cura etiam sollicitudinis debet accrescere, ut cultui vestium actionis quoque ornamenta conveniant. »

3. *Et Ratio illius.* — Rationis loco stat etiam, quod successor in munere honorifico habeatur quasi pro hærede antecessoris, uti advertit Glossa in c. 1, *de Solut.*, v. *Prædecessoris*. consequenter, sicut hæres in universum jus tam passivum, quam activum succedit, indeque onera et debita hæreditati annexa præstare debet, sic idem facere oportet eum, qui quasi hæres alteri in honore succedit cit. c. 1, *de Solut.*

4. *Declaratur exemplis juris.* — Declaratur et firmatur regula ulterius exemplis juris. Primum adducit Dynus de substituto hærede; quia hæreditas in jure honor vocatur, l. *Filium*. § 5, ff. *de Legat. præst.* Sicut enim hæres institutus, sic etiam substitutus una cum honore in onere, puta, solvendi legata, et alia debita, succedit; quia relicta ab institute videntur legis potestate tacite repetita ab instituto. l. *Licet Imperator*. 74, ff. *de Legatis* l.

5. *Patronus Ecclesiæ quæ prærogativa honoris, et quæ onera habeat.* — Sic filius, qui jure hæreditario succedit in juspatronatus, indeque honorem et commoda reportat, puta, honoratorem locum in processione, præcedentiam in acceptanda thurificatione, in capiendo modesto auxilio, si ad inopiam vergat. c. *Nobis*. 23, *de Juspatronatus*. ibi: « Pro fundatione quoque Ecclesiæ honor processionis fundatori servatur: et si ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modeste succurritur, sicut in sacris est canonibus institutum, cum concord. » idem in operibus quoque, et obligationibus, defendendi videlicet Ecclesiam, et, quantum possibile, curandi, ne ullo modo injuste patiat, aut bona illius ad alium, quam destinatum usum, applicentur, succedit, arg. can. *Filiis, ve. nepotibus*, 34, et can. *Decernimus*, 32, cau. 16, q. 7.

6. *Successor prælatus tenetur solvere antecessoris debita, pro utilitate Ecclesiæ contracta.* — Sic prælatus succedens in honore, succedit etiam in onere et obligatione solvendi debita ab antecessore ob utilitatem

Ecclesiæ contracta, c. 1, *de Solut.* ibi: « Sicut filius debita patris solvere tenetur; ita prælatus sui prædecessoris pro Ecclesiæ utilitate contracta. » Et ille, qui honorifico mortui judicis officio substituitur, onus et obligationem habet, sequendi judicium, quod ipse ferre debeat, arg. c. *Quoniam*. Abbas, 14, *de Offic. et potest. jud. deleg.*

7. *Conditio onerosa adhærens personæ non transfertur ad successorem.* — Illud tamen cum Dyno *hic*, n. 5, et aliis notandum, quod, si onus, vel conditio onerosa adhæret personæ antecessoris, succedens in honore illius, non succedat in tali onere. arg. l. *Legatum*. 24, ff. *de Adimend. legat.* ibi: « Legatum sub conditione datum, cum transfertur, sub eadem conditione transferri videtur: si non conditio priori personæ cohæreat. »

REGULA LXXVIII.

IN ARGUMENTUM TRAHI NEQUEUNT, QUÆ PROPTER NECESSITATEM ALIQUANDO SUNT CONCESSA.

1. *Regula unde, et in quibus a quasi similibus differat?* — Desumitur hæc regula ex l. *Quæ propter*. 162, ff. *de Reg. jur.* ibi: « Quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi. » Concordare videntur reg. 28. « Quæ a jure communi exhorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. » et reg. 74. « Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum. » A quibus tamen differt, et propterea superflua non videtur, quod præsens regula specialiter loquatur de eo, quod ob necessitatem; præcedentes vero de eo, quod ex speciali favore et gratia conceditur, ut notat Glossa *hic*.

2. *Ponitur verus sensus regulæ. Concessa propter necessitatem, cessante necessitate, cessant.* — Quæritur. Quomodo regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. regulam intelligendam esse in sensu sequenti, tanquam proprio ejusdem: « Id, quod intuitu urgentis alicujus gravis necessitatis subinde conceditur, aut permittitur, ab aliis sumi non debet pro argumento, quasi et illis in hujusmodi casu permissum, aut concessum esset. » Ratio regulæ est; quia, cum hujusmodi concessionem a jure communi exorbitent, in consequentiam non sunt trahendæ juxta regulas n. 1, allegatas: immo non tantum non trahendæ in exem-

plum, sed in ipso etiam, cui factæ sunt, cessare debent, necessitate tanquam causa concessionis, cessante, can. *Quod pro*. 41, cau. 1, q. 1, ibi: « Quod pro necessitate temporis statutum est, cessante necessitate debet utique cessare. » Quod idem reperitur can. *Quid pro remedio*, 7, cau. 1, q. 7. Et merito; « Cum cessante causa cesset effectus, » c. *Cum cessante*. 60, *de Appellat.*

3. *Beneficio sæcularia, extra casum necessitatis, regularibus non sunt conferenda.* — Declaratur regula, et firmatur exemplis juris: Sicut in necessitate ob inopiam sacerdotum beneficio sæcularia, et parochiæ etiamsi religiosi conferri valeant; id tamen cessante tali inopia, vel alia vera necessitate practica non debet: prout ex illo trito: « Sæcularia beneficia sæcularibus, et regularia regularibus sunt conferenda: » amplius distimus lib. III, tit. V, § n. 26. Sic pariter, quando ob inopiam sacerdotum conceditur unus duarum parochiarum, ea cessare debet, quando habetur copia sacerdotum. Sic rursus, si ob certam gravem necessitatem tempore quadragesimæ conceditur esus carniæ, ad aliud tempus, necessitate vacans, trahi non debet. Sic, etsi Bavaris tempore belli Suedici ob varias necessitates universaliter fuerit concessum in quadragesima edere carnes, uti post Caramuel refert Strein. *hic*, tamen, quia necessitates tunc existentes non amplius extant, id eis non amplius licet, per jura et rationes allegatas.

4. *Pater ob nimiam inopiam vendere potest filium.* — Sic, licet pater ob nimiam paupertatem et egestatem victus causa vendere possit filium, vel filiam, l. 2, c. *de Patribus, qui filios*. Tamen in simili causa id non licet matri, vel avo paterno, ut eum aliis docet Bruneman in cit. l. n. 1.

5. *Ubi omnino similis, vel major ratio habetur, fit extensio concessionis, et quare?* — Notandum tamen cum Glossa, et Dyno *hic*, quod, etsi regulariter loquendo, alius pro argumento et exemplo sumere non debeat id, quod aliquando intuitu necessitatis fuit concessum, tamen id fieri possit et debeat in casu, ubi eadem gravis, vel major urget necessitas; quia argumentum a simili ad penitus simile procedit; cum ea, quæ conveniunt in identitate rationis, non debeant separari, secundum constitutionem juris, ut habet summarium in l. *Illud*. 32, ff. *ad Leg. Aquilian.* cui concordat c. *Inter corporalia*. 2, *de Translat. episc.* ibi: « Propter expres-

sam tamen similitudinem, vel potius identitatem cum de similibus idem iudicium sit habendum. » Et quamvis argumentum a paritate rationis desumptum, « ubi est eadem ratio, eadem est legis dispositio, » non semper procedat, ac præsertim locum non habeat in iis, quæ a jure communi exorbitant; tamen, ubi rationis loco stat gravis necessitas, et hæc in iis eadem, omnino procedit; eo quod necessitas gravis alias ordinarie excuset a servanda lege humana juxta regulam 4, *de Reg. jur.* in quinto *Decret.* « Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum, » etc., et dicta ad eandem regulam supra. Addit nihilominus Dynus: Nisi in concessione reperitur expressa, vel æquipollens prohibitio in contrarium, uti fit in cit. l. 2, c. *de Patribus, qui filios*. ibi: « Venditione in hoc tantummodo casu valente. »

REGULA LXXIX.

NEMO POTEST PLUS JURIS TRANSFERRE IN ALIUM, QUAM SIBI IPSI COMPETERE DIGNOSCATUR

1. *Regula unde?* — Desumitur hæc regula ex l. *Nemo plus juris*. 54, ff. *de Reg. jur.* ibi: « Nemo plus juris ad alium transferre potest, quam ipse haberet. » Et l. *Nemo plus commodi*. 120, ff. eod. « Nemo plus commodi hæredi suo relinquit, quam ipse habuit, » cui concordat etiam c. *Nuper*. 6, *de Donat. inter virum et uxorem*. ibi: « cum regulariter nullus in alium plus juris transferre possit, quam eum constat habere, » et c. *Is, qui*. 46, *de Reg. jur.* in 6, ibi: « Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debet: » consequenter non majori.

2. *Ponitur verus sensus illius.* — Quæritur. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. Regula, ex se clara. Hunc proprium sensum habet: « Quantumvis aliquis sive per contractum, vel dispositionem inter vivos, sive mortis causa alicui suo nomine dat, assignat, relinquit, aut transfert, plus juris in eum transferre non potest, quam ipse habuit. » Ratio regulæ manifesta; quia nemo dare potest, quod non non habet, can. *Daibertum*. 24, cau. 1, q. 7, ibi: « Qui nihil habuit, nihil dare potuit. »

3. *Et declaratur exemplis juris.* — Declaratur regula, alias ex se clara, exemplis juris. Primum ponit Dynus *hic*. n. 1, si vendit

tibi rem aliquam, illud juris, quod ego venditor in eadem habeo, et tu emptor habebis: si ego nihil juris habui, et tu nihil habebis: si ego directum, sed non utile: vel utile, sed non directum: vel si liberam, aut servitute, vel alio onere affectam, tu quoque taliter, et non aliter habebis, claro textu l. *Traditio*. 20, ff. *de Acquirendo rer. domin.* ibi: « Traditio nihil amplius transferre debet, vel potest ad eum, qui accipit, quam est apud eum, qui trahit. Si igitur quis dominium in fundo habuit, id tradendo transfert; si non habuit, ad eum, qui accipit, nihil transfert. Quoties autem tale dominium transfertur, ad eum, qui accipit, tale transfertur, quale fuit apud eum, qui tradit: si servus fuit fundus, cum servitutibus transit: si liber, uti fuit. Et si forte servitutes debebantur fundo, qui traditus est, cum jure servitutum debitarum transfertur. » Idem est de aliis contractibus, et actibus inter vivos, quibus res transfertur; universaliter enim, et merito dicitur l. *In his*, 175, ff. *de Reg. jur.* « Non debeo melioris conditionis esse, quam auctor meus, a quo jus in me transit. » De dispositionibus mortis causa, patet ex cit. 120, ff. *de Reg. jur.* « Nemo plus, » etc.

4. *Solvuntur objectiones.* — Objicitur tamen contra regulam *primo*. Patronus laicus, etsi quatuor duntaxat menses ad præsentandum habeat, tamen si juspatronatus in Ecclesiam, vel monasterium transfertur, huic illico competunt sex menses ad præsentandum. c. un. *de Jurepatron.* in 6, ibi: « Licet patronus laicus ad præsentandum tempus habeat quadrimestre duntaxat; Ecclesia tamen, vel monasterium, cui facta est a laico juspatronatus collatio, tempus habet semestre. » Ergo patronus laicus in tali casu plus juris transfert, quam ipse habuit. Resp. negando consequentiam; quia patronus laicus simpliciter suum jus, quod habet, transfert: quod autem novus patronus, utpote ecclesiasticus, plus temporis acquirat, non a patrono laico transferente, sed a juris dispositione provenit, quæ patronis ecclesiasticis sex menses ad præsentandum concedit. cit. c. un. *de Jurepatron.* in 6.

5. *Patronus laicus quadrimestre, ecclesiasticus semestre habet ad præsentandum.* — Objicitur *secundo*. Capitulum, sede vacante, potest dare licentiam ordinandi subditos diocesanos, c. *Cum nullus*. 3, *de Tempor. ordinat.* in 6, qua tamen ipsum caret: ergo dat, quod

non habet. Resp. capitulum non nisi jurisdictionem, quam habet, tribuere, ut alius potestate ordinis alias jam præditus in præfatos subditos uti valeat.

6. *Alieno, sed non suo nomine dare quis potest, quod non habet.* — Objicitur *tertio* in l. *Non est novum*. 46, ff. *de Acquirend. rer. domin.* habetur textus, qui videtur regulæ aperte contrarius; sic enim sonat: « Non est novum, ut, qui dominium non habet, alii dominium præbeat. Nam et creditor pignus vendendo, causam dominii præstat, quam ipse non habuit. » Sic etiam tutores, curatores, procuratores, etc., licet dominium rerum non habeant, illud nihilominus in alios transferunt. § *Nihil*. 42, *Instit. de Rerum division.* cum concord. Ergo plus juris transferre quis potest, quam ipse habet. Resp. negando rursus consequentiam; quia omnes recensiti transferentes alienum dominium non suo proprio, sed aliorum, verorum videlicet dominorum nomine transferunt: etiam creditor rem oppignoratam vendens, utpote cui dominus per contractum ad id potestatem tribuit, ut si tempore debito non solvat, creditor pignus vendere valeat. § 1. *Instit. Quibus alienare.* ibi: « Creditor pignus ex pactione, quamvis ejus ea res non sit, alienare potest. Sed hoc forsitan ideo videtur fieri, quod voluntate debitoris intelligitur pignus alienari; quia ab initio contractus pactus est, ut liceret creditori pignus vendere, si pecunia non solvatur. » Regula autem nostra de iis duntaxat loquitur, qui proprio nomine jus transferunt. Plures objectiones adducit, et solvit Glossa *hic*.

REGULA LXXX.

IN TOTO PARTEM NON EST DUBIUM CONTINERI.

1. *Regula unde?* — Desumitur hæc regula ex l. *In toto*. 113, ff. *de Reg. jur.* ibi: « In toto et pars continetur. » Et concordat supra jam explicata regula 35, *de Reg. jur.* in 6. « Plus semper in se continet, quod est minus. » Consequenter, quia totum plus est, quam pars illius, hæc in illo continetur.

2. *Ponitur versus sensus regulæ.* — Quæritur. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. Regulæ, ex ipsis verbis claræ, et lumine naturæ notæ, sensus hic est: « Certum est, quod in toto etiam pars illius contineatur. » Cum, si in eo contineretur, jam hoc ipso illis apud

non esset. Tendit autem regula eo præcipue, ut intelligatur, credatur, et firmiter teneatur, ac judicetur, eum, qui totum habet, emit, vendit, lucratur, in testamento acquirit, vel perdit, amittit, etc., etiam partem hujusmodi totius habere, emere, vendere, lucrari, acquirere, perdere, amittere, etc. Et qui jus ad totum habet, etiam ad partem illius habere.

3. *Declaratur exemplis juris.* — Idque patet exemplis juris. Sic enim, si quis in iudicio totam v. g. domum petit, et succumbit, etiam quoad partes illius succubuisse censetur: indeque, si postea petat partem ejusdem ex eadem causa (secus si ex diversa causa) obstat exceptio rei judicatæ. l. *Si quis cum totum*. 7, pr. ff. *de Exception. rei judicat.* « Nam pars in toto est, » ut dicitur ibidem. Et e contra ob eandem rationem, qui totam domum lucratur, etiam partes illius, tectum, parietes, etc., lucratur. Sic etiam, qui fundum totum stipulatur, etiam usumfructum, tanquam partem illius, stipulari censetur, sicque nihil agit, si, postquam totum fundum stipulatus est, postea usumfructum ejus stipulatur. Sic etiam nihil agit, qui prius usumfructum fundi, et postea ex eadem causa totum fundum stipulatur. l. *Qui usumfructum*. 58, ff. *de Verb. oblig.* ibi: « Qui usumfructum fundi stipulatur deinde fundum, similis est ei, qui partem fundi stipulatur, deinde totum; quia fundus dari non intelligitur, si ususfructus detrahatur. Et e contrario, qui fundum stipulatus est, deinde usumfructum, similis est ei, qui totum stipulatur, deinde partem. » Sic rursus, cui de jure competit vindicatio pro tota re prius possessa, etiam pro partibus illius eidem competit vindicatio. l. *Quæ de tota*. 76, ff. *de Rei vindicat.* ibi: « Quæ de tota re vindicanda dicta sunt, eadem et de parte intelligenda sunt. » Plura hujusmodi juris exempla, sicut et alia ad propositum vide in cit. reg. 33. « Plus semper, » etc. *de Reg. jur.* in 6, utpote quæ cum præsentibus plurimum concordat.

4. *Solvuntur objectiones. Quando legatur omne aurum et argentum, non comprehenduntur pecunie, et nummi, nec ejus nomine veniunt.* — Cæterum quantumvis clara appareat hæc regula, nihilominus contra eam fieri solent a juristis objectiones, soluta tamen faciles. Sic enim objicitur *primo*: Licet alicui omne aurum, et argentum legetur, tamen nummi, et pecunie ex auro et argento sæpe non censentur legatæ: cum tamen vi-

deantur species, et pars illius, l. *Cum aurum*. 19, pr. ff. *de auro argento, etc., legato*, ibi: « Cum aurum, vel argentum legatum est, quidquid auri, argenti que relictum sit, legato continetur. — Pecuniam autem signatam placet eo legato non contineri. » Ergo pars non semper continetur in toto. Resp. negando, quod pecunia et nummi cusi sint species et pars auri, vel argenti massivi; cum hoc nomine in jure ordinarie non veniant. l. *Quintus*. 27, § 1, ff. eod. ibi: « An, cui omne argentum legatum est, ei nummi quoque legati videantur, quæritur, et ego puto, non contineri. » Audi rationem. « Non facile enim quisquam argenti numero nummos computat. Item argento facto legato, puto, nisi evidenter contra sensisse testatorem appareat, nummos non contineri. » Vel nisi aliud aurum aut argentum non haberet, quam pecuniam et nummos; tunc enim de voluntate testatoris satis constaret: uti bene advertunt doctores. arg. l. *Pediculis*, 32, § 4, ff. eod. ibi: « Si testatrix habuit proprium argentum ad usum suum paratum, non videri id legatum, quod negotiandi causa venale proponi solet. »

5. *Quando materia transit in materiata, censetur assumere aliam speciem.* — Objicitur *secundo*: l. *Si convenerit*. 18, § 3, ff. *de Pignor. actione*, habetur, quod i quis pro pignore dedit sylvam, navis ex arboribus sylvæ fabricata non censeatur oppignorata, ibi: « Si quis caverit, ut sylvæ sibi pignori esset, navis ex ea materia facta, non esse pignoris, Cassius ait: quia aliud est materia, aliud navis. » ergo. Resp. cum Gloss. in cit. l. § 3, quando materia transit in materiata, id est, si ex rudi materia fiat artificiosa, uti ex rudibus arboribus fabricata navis est, assumit novam speciem, non eadem cum rudi materia species, nec pars illius amplius esse censetur: uti videre est in pecunia ex auro vel argento cusa, utpote quæ juxta dicta n. 4, cum auro et argento massivo eadem species, et pars illius non amplius reputatur, consequenter regulæ nostræ non obstat.

REGULA LXXXI.

IN GENERALI CONCESSIONE NON VENIUNT EA, QUÆ QUIS NON ESSET VERISIMILITER IN SPECIE CONCESSURUS.

1. *Regula unde desumpta?* — Desumitur hæc regula ex c. 2, *de Penit. et remiss.* in 6,